

21
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIE NSIS

JOANNES JACO-
BUS DÖBELIUS,

Med. D. P. P. Poliater, & Facultatis

suæ p. t. DECANUS,

CIVES ACADEMICOS

a

BACCHANALIO-
RUM ASOTIA

avocat ,

atq;

ad beatissimas

in arâ crucis

pro nobis immolati ,

& peccata mundi tollentis

AGNI EPULAS,

publico hoc Programmate

solennissimè invitat.

•• (o) ••

ROSTOCH I, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



VENITE! ET FRUAMUR
bonis, quæ sunt, & utamur creaturâ, tanquam in juventute, celeriter! Vino pretioso & unguentis nos impleamus: bibamus cras, sicut hodie, & multò amplius, & non prætereant nos flos temporis. Nemo nostrum exorsus sit luxuriæ: ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est nostra pars, & hæc est sors nostra. Ita, **CIVES ACADEMICI**, sacratissimò hocce Passionis Dominicæ tempore, Patris sui, Dæmonis instinctu, cum maledicto Mundo, lurcones & comedones maledicendi, ad vesanas suas se invicem epulas invitant. Venite, dicunt, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creaturâ, tanquam in juventute, celeriter! Credunt perditissimi mortalium, ex nihilo se, & quasi fortuitò natos; post-hac etiam futuros, tanquam non fuerint: corpus tanquam cinerem extinctum; spiritum, tanquam aërem molliorem, diffusum iri. Putant, vitam suam transitoriam, tanquam vestigium nubis, & sicut nebulam dissolutum iri, quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius aggravata. Sed ò intolerabilem Sardanapalorum illorum ignorantiam! quâ nihil à bestiis alienum, qui su-
pra



58700211

pra bestias videri volunt, concreditum sibi sciunt. Non attendunt remulenti, quam proximè ante Passionem suam, quod equidem probè est notandum; proximè, inquam, antequam à Discipulo suo proderetur, omnibus nobis & singulis, paterno planè ore, inculcet Servator: *Cavete, ne graventur corda vestra crapulâ & ebrietate, & superveniat vobis repentina illa dies.* Non vident caligantes, inque voluptatum mundanarum glandibus, porcorum instar, sese volutantes; omnes nos manifestari oportere coram Tribunali Christi, ut reportet unusquisque propria corporis, juxta quæ fecit, sive bonum ea sint, sive malum. Sed tamen ego, OPTIMI, qui in humilitate hæctenus, ad stabulum, ac præsepe Domini nostri confedistis, qui caractere ejus dulcissimo, sancto, putro, Crucis signo, notati estis, qui varias hæctenus tribulationes, Mundi & ipsius Satanæ vexationes, summâ animi cū patientiâ passi estis, & per agni, pro nobis immolati, sanguinè vicistis: vos, inquã, MEOS, jure meritoq; hodie convoco: Venite jam, edite, bibite, inebriamini, ad sacratissimas jamjam epulas deducendi. Apud antiquissimos Græcorum receptum erat, ut Hospes à cænâ, quâ exceperat, convivas dimissurus, sanguinem illis suum, è percussa venâ, ultimi haustus locò, quem **ΤΕΛΟΣ ΦΙΛΙΑΣ** SEU **EXTREMUM AMICITIÆ** vocitabant, propinaret. Hodie ille nos invitat, qui non unâ venulâ, sed universo corpore gloriosissimo, dirissimis lancinato modis, non uno quasi imbri, sanguinem

guinem fundit. Fundit ille sanguinem, quando ad montem olivarum, summo, in oratione prolixiori, angore correptus, verè pallium suum in uvæ sanguine lavat; quando vestimentum ejus rubrum est, sicut calcantis in torculari; quando effusus est, sicut aqua, & separaverunt sese omnia ejus ossa; quando liquefactum est ipsius cor, quando omnes Patris æterni inundationes & fluctus super ipsum transeunt; quando infernalis ejus calcaneum Hæmorrhoids mordet; quando sudor ejus, velut *θρόμβοι αἵματος*, grumi sanguinis, in terram decurrunt. Scimus equidem quàm optimè, ob cutis aliquando raritatem, tum sanguinis quoque tenuitatem & aquositatem, atque sic vitiatum corporis habitum, *αἱματώδες πείλωμα*, excrementum quoddam, sanguinis colore imbutum, (quemadmodum id Aristoteles notat,) accidisse. Scimus, tale quid à Fernelio observatum, in jecoris imbecillitatem relatam esse: Scimus Rondeletium in Studioso quodam: Maldonatum in homine robusto, auditam in se sententiâ capitali: Leudanum in Moniali, cum in manus militum incidisset, gladiosque evaginatos, ac machærules vibratas, mortem intentantes, videret, sudorem sanguineum deprehendisse. Scimus, Scanderbergo, forti illi Heroi, ex labiorum venulis, guttulas quasdam sanguineas prorupisse, quoties in aciem progrediretur. Imò apud Thuanum, juvenem, citra ullam aliquam graviores causam, à Sixto Pontifice, morti damnatum, cum ad
suppli-

supplicium, multorum miseratione dignus, duceretur, præ doloris vehementiâ, lacrymas cruentas fudisse, sanguinemque pro sudore, toto corpore misisse, quod multi velut documentum tum acceperunt Naturæ, festinati crudeliter iudicii severitatem impugnantis, & de Magistratu ipso, quasi percussore, ultionem reposcentis. Ast, qui $\theta\rho\rho\mu\beta\epsilon\varsigma \acute{\alpha}\iota\mu\alpha\tau\omicron\varsigma$, sanguinis grumos fuderit, præter Servatorē, in plusquam gravissimâ illâ Humanitatis afflictatione, observatus est nemo. Sanguinem ille fundit, quando pectus suam percutientibus præbet, atque Pilati super ipsum flagella sunt congregata: quando caput ejus divinum densitate spinarum figitur, ut gloriâ & honore nos coronemur in cœlis: quando manus pedesque cruci affixus, inter cœlum & terram medius pendet, unus inter ille DEUM & homines Mediator. Neque verò sufficit, quod in cruce pendeat, totus corpore cruentatus, & ex vulneribus capitis, manuum, ac pedum, coccini instar rubentibus, totus sanguinolentus, ut non sit à plantâ pedis, usque ad verticem in eo integrum quiddam: sed lanceâ quoque adaperiendum erat ejus latus. Dulcissime Jesu!

O oculos utinam tua nunc in pectora possem

Inserere, & patrias intus deprêndere curas!

Verè hic est $\Phi\iota\lambda\iota\alpha\varsigma \tau\epsilon\lambda\omicron\varsigma$, seu ULTIMUS
TERMINUS AMORIS. Aperitur latus tuum, uti
illic quodammodo vitæ ostium apertum intelligamus.

mus. Credimus sanctè, non externum tantum latus,
sed & ipsum cor fuisse hac tibi lanceâ apertum. Omni
corporis externi parte, mitissime Jesu! hæctenus passus
eras, sed cordis substantia manserat illæsa: ne præci-
puam ergo, & maximè vitalem corporis partē, pro no-
bis non videreris impendisse, passus etiam es, cor tuum
vulnerari. Jam licet fraterni in nos amoris flammæ
intueri. *Vulnerasti*, ipse clamas, *cor meum, soror mea*
Sponsa: Vulneratus ergo es, non interiori tantum,
charitatis vulnere, sed & militis impiissimi lanceâ exte-
riori, unde non sanguinem tantum, sed & aquam,
simul miraculosissime nobis offers. Propera nunc
anima mea, & veni: absconde te in foraminibus Pe-
træ, in caverna maceræ: & venimus ecce, dulcis-
sime Jesu! quem admodum desiderat cervus fontes
aquarum, ita te desiderat anima nostra. Veniat su-
per nos, & posteros nostros, sanguis tuus copiosè fu-
sus; sanguis, qui liberat nos ab omni peccato. Unum ta-
men hic vos monere habeo, quicumq; nihil circa hanc
sanguinis & aquæ, è Servatoris latere, effusionem, hal-
lucinamini, miraculi subesse. *Naturale*, dicitis, *est,*
dum coagulatur sanguis, amisso rubore, fieri aqua similem:
rectius, si diceretis, *grumescenti sanguini serum,*
quod est aqua simile, supernatare. Sed vidistisne
aliquando, ut naturaliter vobis loquar, corpus mortu-
um, in cavitate quâdam vulneratum, grumes, seu
cruoris frustra, instar glutinis sibi cohærentia, & à sero
distin-

distincta, edidisse? Capitisne verba Spiritus Sancti? Non post effluxum, serum se à cruore separavit, sed simulac lanceâ latus esset fossium, sanguis continuo & aqua effluerunt. Verùm aliud habetis fortè refugium: Notum est, in membranâ, Cordis substantiam succingente, pericardium dicunt, aquam contineri: Ergo non jam fuit aqua ista serum, à cruore secedens. Pericardii autem aquam quod attinet, si vidistis illam unquam, vix unum atque alterum ejus, in cadavere, cochleare deprehendistis. Tundite corpus mortuum erectum, crucive affixum; perforate pericardium, & videte, annon aqua ista, Spiritu jam destituta, pondereque suo gravis, in ipsam potius thoracis cavitationem confestim defluat, quam ex vulnere inflictio egrediatur. Scitote ergo, si non ex corde sanguinem & aquam miraculose profluxisse, sed aliquò lateris vase rupto dimanasse, creditis; nunquam in cadaveris venis sanguinem coagulatum: si ex corde dicitis effluxisse; nunquam in ejusdem ventriculis fluentem, sed totum quasi in unam massam coagulatum reperiri. Scitote insuper, si quod cavitationis cujusdam viscus altius reconditum, erecto corpore vulneretur, non tam ex vulnere visceris, nisi mediante pulsu, sanguinem progredi, quam in ipsam cavitationem delabi, ibidemque in grumos resolvi. Et quid opus fuisset, si omnia ista naturaliter essent actitata, emphaticâ illâ Spiritus Sancti asseveratione: qui vidit, testimonium perhibuit, *Et verum est testimonium ejus. Et ille scit, quod vera dicit, Et ut vos. CREDATIS. Nul-*
la un-

la unquam requiritur fides, ubi omni lippo & tonsori
res est perspecta. Miraculosè ergo credimus, & san-
guinem, & aquam veram, ex te profluxisse Jesu! qui
per aquam & sanguinem venisti, nō per *aquam* tantum,
sed per *aquam & sanguinē*: illā, ut diluat; hōc verò, ut re-
dimar nos ab omni iniquitate. Hauriamus, CIVES,
hasce aquas, in gaudio, de fontibus salutum. Hic est
fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem,
in ablutionem peccatorum. De vino Aphoristes scri-
bit, quod & famem sedet. Hic vitis vera est, non virens
modò, sed & fœcunda, quæ & famem, purpureâ san-
ctissimi corporis uvâ, & sitim, roseô, innoxii langu-
inis liquore sedat. Edamus jam, & bibamus ad satieta-
tem: illud tamen scientes, quod omnis palmes, huic vi-
ti insertus, non ferens fructum, ejiciatur. Nos sumus
palmites, si manserimus in vite nostrâ, Christo. *Fructus*
vitis sunt: VITA, GAUDIUM, DILECTIO, JUSTI-
TIA, FIDES SINCERA, COGNITIO, RELIGIO,
SANCTITAS, GRAVITAS, HUMANITAS,
MANSVETUDO, CONTINENTIA. Ex fructi-
bus arborem cognoscetis: Ego, ut non tantum præ-
senti hocce Passionis Dominicæ, sed & toto vitæ ve-
stræ tempore, feracissimi illorum sitis, ani-
mitus voveo, hortor, precor.

P. P. sub Sigillo Rectoris die XXI. Februarii
Anno M. D. C. L. X. IX.

